

stabit, in re communi conditionem prohibentis esse portorem. Tondut, q. 9. civil. cap. 88. num. 22. Menoch. conf. 36. num. 52. id verum est, ceteris paribus, ut ait Menoch. ibi. Hic autem favor boni communis stat pro eo, qui furcam fieri desiderat, & adversario opponitur. Præterea idem axioma limitatur, quando socius vult re communi uti in eum finem, ad quem destinata illa est; tunc enim prohibentis non est melior conditio. Tondut. ubi sup. qui autem furcam erigit, uitur sua juridictione ad terrendos malefactores, ad quod inventa & data est, cum illa erecta metum incutiat facinoris, ut a criminibus abstineant.

## SUMMARIUM.

- 1 Conductor quibus ex causis uti re locata aliquando prohibetur.
- 2 Quando conductor, vel locator teneatur, si ipsius rei locata impeditur.
- 3 Migranti è domo locata ob metum lemurum, aut phantasmatum, pensio remitti debet.
- 4 Nuncianda est migratio, & bona sume deducenda ab ade, in pensionis remissio fiat.
- 5 Pensionis remissio non est locus, cum conductor sciebat contractus tempore dominumphantasmibus infestari.
- 6 Si conductor recesserit propter lemures, bellum, aut pestem, an his cessantibus cogatur solvere pensionem usque ad tempus præfinitum in contratu.
- 7 Facile credendum non est iis, qua de phantasmibus ac lemuribus vulgo jastantur.
- 8 Demones nihil valeant adversus nos, nisi Deo concedente.
- 9 Dei iudicia scrutari nobis non licet.
- 10 Deus aliquando mittit demones ad plectenda hominem peccata.
- 11 Traditum exempla.
- 12 Justa Dei voluntate diabolus homines divexat, sed ex propria malitia perperam propter odium operatur.
- 13 Demon, permittente Deo, homines corporaliter & spiritualiter vexat.
- 14 Eriani justos permissione Dei demon persequitur in hac vita.
- 15 Ex Dei permisso demon plura edit, que miraculosa videntur.

Utrum pensio sit remittenda inquilino migranti è domo ante tempus contractu præscriptum, propter lemures, sive phantasmata?

## CAPUT VI.

**C**ontingit interdum, ut in isto locationis contractu aliquid superveniat, quod impedimento sit, ut conductori uti re locata non licet, & hoc provenit ex culpa locatoris, seu factio vel conductoris, vel tertii, aut casu fortuito. Ubi locator factum intercedit, pensio non debetur, inquit ad interest tenetur conductori, l. 21. tit. 8. part. 5. l. Si unus 17. §. ult. l. Si fundus 36. ff. locat. Gregor. Lop. in d. l. 21. gloss. 2. Anton. Gom. variar. lib. 2. cap. 2. num. 1. in fin. Caroc. de locat. tit. de casib. quast. 7. num. 16. & tit. de remission. merced. quast. 8. num. 139. Quod re-

stringendum est, cum Princeps locat agros aut vestigalia, ac postea legem fert, vel justum gerit bellum, quo conductor impeditur fructus percipere, sive gabellas; tunc siquidem interesse minimum praefabitur, inquit nec pensio remittetur, ut vult Larrea alleg. sfc. 17. num. 24. cui assentiri videtur Caroc. d. tit. de casib. quast. 6. & tit. de remission. merced. quast. 8. à num. 71. Verumtamen quoad remissionem mercedis perdurum est quod tradit Larrea, ut insinuat Caroc. d. q. 8. num. 73. per hæc verba: *Ultimum colligitur, quod Princeps locat, nec de hoc contractu Principes dedignantur, & benignè eorum locationes sunt interpretandæ, ut privatis non noceant, licet Ministri avidi, & subiuncti totum contrarium faciant ambelantes in volumen avaritia; & hoc contra justam mentem Principis. Quibus perensis, & quæ idem Caroc, docet d. quast. 6. in fin. plane colligitur in ea sententia residere, ut pensio à conductore non exsolvatur, quod exequatur, & juri maximè congruit, quia lex aut bellum ex causa publica supervenientis, etiæ Principi non imputetur ad culpam, sat est quod factum contingat, ut pensio remittatur, l. Qui in flum 33. ff. locat. Caroc. d. quast. 8. num. 165. Capic. decif. 87. num. 8. & cum in hoc nullum in iure privilegium Principibus indulgetur, regulis communibus standum est, secundum tradit. sup. lib. 1. cap. 16. Ad quale interesse locator conductori in hac specie teneatur, edocet Greg. Lop. sup.*

In secundo casu si conductor suâ culpâ, vel facto uti re locata non valeat, integrum mercedem per solvere compelletur, l. Qui operas 41. ff. locat. Tusch. lit. L. conclus. 431. n. 69. Caroc. d. quast. 8. num. 138. & tit. de recusat. quast. 11. num. 1. In ultimo, quando scilicet aliunde præter factum contrahentium usus rei locatae vetatur, subsequitur sola mercedis remissio, d. l. 21. Partit. d. l. Si uno, §. ult. d. l. Si fundus, l. Si ex conditio 16. l. Habitatores 30. ff. locat. Gregor. Lop. sup. gloss. 5. Anton. Gom. num. 3. Tusch. à n. 18. D. Covarr. Practicar. cap. 30. num. 3. Ousald. ad Donell. lib. 13. cap. 8. Cancer. variar. part. 3. cap. 14. num. 28. Caroc. num. 16. & 165. Molin. de justit. & jur. disput. 393. num. 1. Quod limita cum per tertium usus rei impeditur, cui locator resistere potest, quia tunc & ad interesse tenebitur conductori. Bossius in Praxi, tit. de remission. merced. num. 108. Quæ omnia sunt de natura contractus observanda, nisi aliud exprimatur, quod servari debet, l. Contractus 24. ff. de reg. jur. Caroc. d. q. 8. n. 81. & 151.

His obiter, ac generaliter præmissis, est nobis cum D. Covarr. disquirendum, qualiter inquilinus migrans è domo conducta ante locationis tempus completum, à mercedis pensio exoneratus in posterum existat, si ex eo migraverit, quod lemures in ipsa divagari contumeliam est, qui habitatores terrant, terris apparentibus umbris, atque aliis horrificis illusionibus. Et quidem ex hac causa migranti remissionem pensionis fieri, tenent Anton. Gom. sup. num. 3. Molin. & Ousald. ubi proxime, Caroc. d. q. 8. num. 16. Valasc. de jur. emphyt. part. 1. q. 22. n. 7. Guid. Pae. decif. 630. Cagnol. in l. Contractus, num. 31. ff. de reg. jur. Petr. Gregor. Syntagma. jur. lib. 27. cap. 1. num. 22. Padilla in l. 2. num. 12. C. de transact. Joan. Bapt. in l. Diem functio, num. 56. ff. de offic. affessor. Arnold. Ferron. ad §. 3. consuetud. Burdegalens. tit. de loc. Mozz. de contract. tract. de locat. tit. de

de accident. locat. num. 5. Quæ conclusio servabitor etiam verè spiritus maligni ædes non infestant, sed ex fama, ac signis verosimiliter timantur; justus enim metus sufficit ad migrandum, ut in specie observant Caroc. n. 17. Padilla & Valasc. ubi proxime, & in simili de bello, ac peste Card. Tusch. d. concl. 431. num. 41. & d. concl. 615. n. 3. & 17. & alii plures apud Caroc. ubi nuper.

4 Ut autem inquilinus mercedis à solutione liberetur, oportet ut discellum locatori denunciet, illique claves tradat. Padill. & Valasc. sup. Ioan. Bapt. vers. Consilio quod dicto casu, Caroc. d. quast. 8. num. 61. & 88. cum seqq. Deinde bona è domo, quam deserit, adspicere debet; nam si illa ibi reliquerit abiens, pensionem solvere cogendus est. Caroc. n. 14. Fr. Marc. Delphnat. decif. 168.

5 Præmissa resolutio coarctatur, si tempore locationis conductori constitit, domus habitatores sic vexari solitos, quia remissio non fiet; etiæ inquilinus ea de causa migret. Molin. Guid. Pap. ac Valac. sup. Caroc. num. 20. vers. Ultra Guidonem, & de bello ac peste idem prænotant Card. Tusch. d. concl. 431. num. 22. & d. concl. 615. num. 31. Girond. sup. num. 44. Bossius sup. n. 84. Quod tamen temperandum est, si post contractum domus locationem causa justi timoris augeat, ut si magis illusiones frequententur, aut ultra morem nocere incipient, vel si forte conductens fidem non adhibuit his, quia plerunque præ timore configuntur, quia à non fide dignis acceperat, ac deinceps experimento senserit vexationem, tunc siquidem remissio mercedis migranti fieri debet. Caroc. post alias n. 12.

Quætionis est, an cessante impedimento belli, illusionum, aut peccatis, quod causam præstitit migrationi, pensionisque remissione, tempore locationis labente inquilinus regreditur ad habitandum, seu ad mercedem solvendam usque ad terminum contractu præfinitum: de quo D. Covar: Practicar. cap. 30. num. 3. ubi adversum Ripam & alios in affirmativam sententiam abit, quem sequitur Caroc. d. q. 8. num. 7. & 8. Bossius d. tit. de remis. merced. num. 41. & assentiri videtur Greg. Lop. in l. 21. gloss. 5. tit. 8. p. 5. & ita communiter receptum est. Placet tamen quod Molin. d. disp. 393. num. 2. recte nobis tradidit distinguens, ut D. Covar. opinio verum habeat, si res integra sit tempore remoti impedimenti, alioqui Ripæ sententia amplexanda erit. Unde si inquilinus ex iusta causa è domo receperit, alterum conducterit, & hoc locatione durante cessaverit bellum, aliudve impedimentum intra terminum prioris conductionis, inquit erit compellere conductorem, ut sub idem tempus pro utraque a de pensionem exsolvat; si vero absque incommodo conductoris ipse in derelicta domo iterum possit habitare, ad id compelletur, ubi causa migrandi extincta dognoscatur. Sic & quod phantasma, & illusiones contingere potest, quæ dæmonibus ejus, aut cadaveribus extractis desinunt vexare habitatores, prout D. Covar. exemplis ostendit.

Ibi: *Vix poterant haec non fabulosa.*

7 Merito de his ambigi potest, sæpe enim falliunt existimantes phantasma, diabolicasque illusiones, quæ à causis naturalibus, quæ nos

latent, proveniunt. Ita evenit Apostolis naufragantibus, qui præ formidine Christianum Domum phantasma putaverunt, Mathe. c. 14. vers. 29. ibi: *Et videntes eum super mare ambularem, turbati sunt dicentes, quia phantasma est. Nec famæ credendum est, nisi originem à fide dignis personis ipsam duxisse confiterit, quæ ex exiguis, incertisque principiis, dum circumfertur, nimis invalescens augetur; juxta illud;*

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum:  
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.*

Quapropter vanæ voces populi contemni debent, maximè circa portenta: facit lex Decurionum 12. ibi: *Nec enim vocibus eorum credi oportet. C. de pœn. Vulgus namque novitatum cupidus has libenter amplectitur, applaudit, & ampliat; id est ut inquilinus ab onere pensionis relevetur illusionum causâ, necesse est apertissimis probationibus de vexatione hujusmodi constare, ut D. Covar. edocet.*

Ibi: *Dæmones nihil operari secundum naturæ sua, &c.*

Sic non antea valuit ex votis Sanctum Iobum 8 tot, tantisque calamibus prosequi, quam à Deo potestatem in ipsum nancisceretur. Iob cap. 1. de quo Salian. Annal. tom. I. anno mundi 2398. a princip. & tom. 2. anno 2544. num. 751. cum seqq. inquit: *Imò nec brutis officere potest, Mathe. cap. 8. vers. 31. ibi: Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum. Ex quo derentur, & inclusus carcere dicuntur, Apocalyp. cap. 7. vers. 20. ibi: Et cùm consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, & exhibit, & seducet gentes. Luculent. D. Greg. lib. 2. Moral. cap. 6. ibi: Scindunt verò eis, ait, quia satana voluntas semper iniqua est, sed nunquam potest in iusta; quia à semetipso voluntatem habet, sed à Domino potestat; quod enim ipse facere iniquum appetit, hoc Deus fieri non nisi iuste permitit. Alioqui si liberum foret satanas uti potentia angelica adversus homines, quam ut donum naturale etiam post lapsum retinet, brevi genus humanum, cuius odio exardest, truculenter extirpare. Salian. tom. I. in apparat. cap. 10. num. 2. & die 13. num. 108. ubi recte inquit: Alterum malum est, quod per hoc peccatum facti sumus satana mancipia, in qua si vernitatem Deus peccati inimicus, dirissime perpetuo sevit, dum pertrahat ad eterna supplicia, immortalis, aique indecessus eorum tortor aliquando futurus: qui tam crudeli ardet in nos odio, ut vel triduo totam Adamę posteritatem, si Deus annuat, funditus deleturus sit, qui justi, ac vindicis Dei nutu permissoque plurimorum etiam parvolorum corpora invadit, eosque miserabiliter vexat. Ex quibus liquet, nihil potestatis in nos malignis spiritibus fore, nisi Deus jussit, aut permisit. Facitque illud Luc. c. 22. Ecce satanas, &c.*

Ibi: *Cujus iudicia occulta sunt multa,  
injusta nulla.*

Juxta illud D. Pauli ad Roman. cap. 11. ad fin. 9 ibi: *O altitudine divitiarum sapientie, & scientia Dei, quam incomprehensibilis sunt iudicia ejus, & investigabiles via ejus. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Ad quam incomprehensibilitem iudicij divini recursum*

rendum est, quoties ratio dispositionis Dei capacitatem humanam præterit, temenurque intellectum subjicere agnoscentes nihil iniquum, aut injustum exire à Deo posse. Psalm. 118. *Justus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Ad quod Iob cap. 3. vers. 2. subdit: *Justus es Domine, & omnia iudicia tua iusta sunt.* Et vers. 10. ibi: *Non est enim in homini potestate consilium tuum.* Quare non licet curiosè superna investigare iudicia, sed religiosè sunt veneranda. Vide Torniell. in *Annal. in primord. n. 6. vers. Quomodo.* Salian. tom. 1. in *appar. cap. 10. in fin. & anno mundi 2138. num. 61.* ubi de conversione uxoris Loth. in statuam salis differens, inquit ita: *Sive ad reverentiam iudiciorum Dei, que humana estimatione atrocia videntur, quo tamen minime curiosè inspectanda sunt, & cum Davide potius demissio capite dicendum: Justus es Domine, &c.* At quid mirum, cum & humanarum dispositionum, que justæ sunt, ratione sapientissimè alii homines percallere non valeant, ut in antiquis legibus contingit, quæ nihilominus debent observari; qui credendum non est aliquid irrationalib[us] à Legiflato constitutum, & à majoribus receptum, l. Non omnium 20. ff. de legib[us]. ubi DD. Ant. Fab. in ratione, qui egregie animadvertisit, nullam legem absque ratione confidere, at non semper à nobis ipsam reddi posse, quia nos p[ro]fererit ex intellectu imbecillitate. Quod cum de hominibus sit presumendum, de Deo infallibili sentire debemus, apud quem omnis humana sapientia stultitia est, teste D. Paulo 1. ad Corin. c. 3. vers. 19. Vide paulò inferius D. Covar. vers. Scimus etenim.

Ibi: *Quandoque dæmones mitti à Deo ad puniendos, &c.*

10. Quemadmodum missus est Asmodeus ad encandos septem viros Saræ, Iob. cap. 5. vers. 8. & cap. 6. à vers. 14. & spiritus ille, qui Saulen tortuebat, Reg. lib. 1. cap. 16. vers. 14. necnon, ut aliqui volunt, reniente communi, qui plagas Egyptiis intulerunt, ut videre licet apud Salian. tom. 2. anno 2544. num. 127. cum seq. De quo D. Aug. lib. 2. ad Simplician. ibi: *Vitius enim Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad honorum probationem.* Tertullian. lib. de fuga in persecuzione, cap. 2. Ex causa reprobationis, inquit, traditur diabolo peccator quasi carnicici in p[ro]enan, ut Saul. Theodor. in 1. Reg. 9. 45. ibi: *Pseudoprophe[te] agitati à malo spiritu sunt similes furore percitis Corybantibus.* Hoc etiam passus est Saul vexatus a damone.

Ibi: *Sicut missus fuit spiritus mendax.*

11. Idem habet Paralipom. lib. 2. c. 18. vers. 19. in hæc verba: *Processit spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus, in quo, inquit, decipies? At ille respondit: Egregiar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Dixitque Dominus: *Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita. Similiter Judic. c. 9. vers. 23. legitur: Misericordia Dominus spiritum pessimum inter Abimelech, & habitatores Sichem.* Spiritum felicit discordia dæmonem, ut post D. Aug. q. 45. in *Judic.* observat Salian. tom. 2. anno 2802. num. 2. Ex quo tamen author peccati Deus optimus maximus habendus non est, sicut petulanter Calvinus asseverare non formidavit, quem

confutat Bellarmin, lib. 2. de amissione grat. c. 13. ubi ita: *Ipsè enim spiritus obtulit se Deo ad decipiendum. Regem, nec tam imperio, quam permissione divina egreditur, cum ex se promptissimus ad omne malum, in modo & cupidissimus nocendi esset. Cui accedunt præter D. Aug. proximè laudatum, Abulensis, Theodor. & Procopius, quos dat Salian. tom. 4. anno mundi 3138. n. 16. Vide quæ statim subjiciuntur, & sup. num. 8. præmissa, ac D. Iacob. epist. cap. 1. vers. 13.*

Ibi: *Tametsi dæmon tunc puniat, territet, &c.*

Quavis dæmones ex justo Dei præcepto hominibus officiant, ipsi tamen perperam operantur exercentes invenit, acerrimumque odium adversus Adam posteritatem, nec inviti dici possunt iusti, seu permissione divina, ad quod alia perpetuè sunt parati. Unde justissimum Dei in peccatores supplicium dæmon, cui committitur, improbus ex propria malitia exequitur, quemadmodum carnifex, qui reum justè damnatum pravo animo ut inimicus perimit, de quo apprimi D. Isidor. in 1. Reg. 8. ait: *Si spiritus Domini, cur malus? Si malus, cur Dominus?* Sed duobus verbis comprehensa est haec sententia, & in Deo potestas iusta, & in diabolo voluntas iusta. Nam idem spiritus malus per nequissimam voluntatem, & idem spiritus Domini per acceptam iustissimam potestatem. Vide supra, n. 8.

Ibi: *Quandoque vero ipsi dæmones.*

Adversarius communis, Deo permittente, homines spiritualiter, ac corporaliter vexat, cuius muniti sedulus incessanter incumbit, quatenus valer, ut monerit D. Petri. epist. 1. cap. ult. vers. 8. Sic primis parentibus insidias paravit ad lapsum, Genes. cap. 3. à principio. Sic Judam in deterritum proditionis flagitium præcipitem dedit, Luc. c. 22. vers. 4. ibi: *Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Icaroites.* Sic Ananiam ejusque uxorem pertraxit ad culpam, Act. Apostol. cap. 5. vers. 3. ubi sic habetur: *Dixit autem Petrus, Anania cur tentavit satanas corrutum memiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* Sic à dæmonibus cruciabantur corpora illorum, de quibus Marci c. 9. vers. 17. & Luc. c. 8. vers. 27. In modo Dei occulto iudicio infantes similiter torqueri solent, ut constat ex d.c. 9. Marc. vers. 22. ibi, *Ab infantia: & observat Salianus, cuius verba inferiuimus sup. n. 8. in fin.*

Ibi: *Neque his tantum homines scelesti.*

Egregii quoque sanctimonia viri, Deo annuente, 14. diaboli suggestionibus, injuriis, ac illusionibus comprimitur, ut sanctissimo Iob contigit, cuius mentio fit supra, num. 8. de ejus virtutibus eximiis ad plenè differentem Salian. tom. 2. anno 2544. à n. 755. Apostolus itidem se à dæmonie colaphizatum testatur ad Corinth. c. 12. vers. 7. ibi: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mibi stimulus carnis meæ, angelus satana, ut me colaphizet.* Hujusmodi certamen cum malignis spiritibus inisse frequentissimum fertur D. Antonius inter monasticæ vitæ professores faciliter princeps, cui per erenum divaganti usurpatæ satyri formâ apparuit, ac humana voce fuisse alloquutus dæmon, ut prænotatum est supra, hoc lib. c. 2. in fin. Pluraque de diabolica divexatione in viros virtutibus insignes passim enarrantur in libro qui *Vita Patrum* inscribitur. Verum & idem Christus Dominus

minus tentatoris audaciam experiri dignatus non est, Matth. c. 4. Quibus casibus utitur Deus dæmonum ministerio in spiritualem iustorum utilitatem, ad quam illi præter voluntatem operantur, ut ex Cajetano obseruat Salian. tom. 1. die 13. n. 2. Quandoquidem juxta tribulationem cumulum corona tribulatis multiplicabitur, Ecclesiastici c. 2. à princ. D. Paul. ad Hebr. c. 12. vers. 1. cum seqq. qui ad Ephes. cap. ult. de hoc certamine agit. Psal. 93. vers. 19 ibi: *Secundum magnitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tue latificaverunt animam meam.*

Ibi: *Non enim est apud Theologos controversum.*

15. Hac diaboli potestate ad nutum Divinæ voluntatis coarctatae juvantur magica artis sectatores. Hinc provenit ut magi Pharaonis in quibusdam prodiigiis se haud impares potentia Moysi ostentarent, sed in aliis protinus defecerunt, quia illa, non haec fieri à Deo permisum est. Vide Exod. c. 7. cum seqq. & Salian. alios laudantem Annal. tom. 2. ann. mundi 2543. à n. 117. ubi plenè differit. Eadem dæmonum potestate malefici plura miratu digna patrare solent, quibus ignarus seductunt, ac quasi numina apud eosdem habentur, ut Simon Magus in Samaria, Act. Apostol. c. 8. vers. 9. Ad quam etiam referri debent, quæ de Orpheo, & Amphione vulgo feruntur; etenim non vocis dulcedini, sed magicæ arti, cui maximè addicti fuere, tribuendum est quod eos bellæ, arbore, ac saxa fecerint, & aliae prodigia perpetrarent, ut ex aliis observat Salian. tom. 2. anno mundi 2786. ex n. 4. ubi ita Pausaniam refert: *Et censebat hic Aegyptius, cum Amphionem, tum Orpheum Thracem magicarum artium fuisse peritissimos, & cum incantatione adhucib[us], Orpheum sequutas fuisse bestias, Amphionem vero lapides ad extrahendos Thebarum muras.* Certum enim est posse naturaliter dæmonem Deo permittente, quælibet corpora sine ullo labore ubicunque voluerit transferre Torniell. Annal. Eccles. anno 987. n. 10. in fin. sed de his præ omnibus fusè Martin. Delrio in suis magicis disquisitionib[us] omnino legendus.

Ibi: *Scimus etenim Dei maximi permissione.*

Adde tradita supra, n. 9.

### SUMMARIUM.

1. *Antiochia nomen multis urbibus inditum est.*
2. *Nisibis urbs, postea Antiochia nuncupata, quæ fuerit civitas.*
3. *Antiochia Syria Metropolis, omnium hujus nominis celeberrima, ubi sita, & à quo condita.*
4. *Syria duplex, superior, & inferior.*
5. *Antiochia Nisibis dicta, alias ab incolis Asibe.*
6. *Nisibis fuit nomen proprium, & peculiare.*
7. *Antiochia Syria dicta est Epidaphne, à loco Daphne.*
8. *Est locus in Aegypto iuxta Pelusium, qui Daphne Pelusi nuncupatur.*
9. *De Urbi Ninive magnitudine, remissivè.*
10. *Iosephus de antiquitatibus Iudaorum reprobatur.*

De urbe Nisibe, & utrum eadem fuerit ac illa quæ postea Antiochia dicta est.

### CAPUT VII.

**S**ciendum est, plures extitisse turbes, quibus Antiochia nomen inditum est. Salian. Annal. Ecclesiast. tom. 5. anno 3753. num. 5. Calepin. verb. *Antiochia*, duodecim enumerat. Ant. Nebriss. eod. verb. unam prætermisit, & sedem unicuique assignat uterque ex Plinio, Stephano, Strabone, & aliis. Unde frequens est apud Autores confusio, qui unam pro alia solent usurpare. Vide pluribus agentibus de Antiochiis Abram. Ortelium in suo *Thesaur. Geographicus*, verb. *Antiochia*.

Omnium earum civitatum antiquissima dignoscitur Nisibis, quæ postea Antiochia nuncupata fuit; nam à Nemrod, seu Belo primo Assyriorum rege condita est, cuius mentio fit *Genesis* cap. 10. teste D. Hieronymo in tradit. *Hebraic.* ubi de Nemrod differens inquit: *Regnavit autem & in Arach, hoc est in Edessa, & in Achad, que nunc dicitur Nisibis, &c.* Et iterum in loc. *Hebraic.* idem afferuit: *Achad urbs regni Nemrod in Babylone.* Porro *Hebrei* hanc esse dicunt Mesopotamia civitatem, quæ hodie quoque vocatur Nisibis, & à Lucullo quondam Romano Consule obsecram, captamque, & ante paucos annos à loviniano Imperatore Persis traditam. Ex quo id observare Salian. sup. tom. 1. anno 1950. n. 1. *Ortel.* ubi nuper, qui ait hanc Nisibim Antiochiam Mygdoniam vocitari à fluvio Mygdone civitatem medium dividente, secundum Stephan. & Asiben ab incolis appellari: cui consentit Calepin. verb. *Antiochia.* Idem *Ortelius* verb. *Nisibis*, sic habet: *Nisibis regionis in Mesopotamia nomen. Ioseph. lib. 20. antiquitat. cap. 2.* In eadem quoque Nisibis urbs, quæ & *Antiochia Mygdonia* nominatur, ad Tigrim fluvium ab Amasio monte, hanc procul ab Amida. Hujus meminerunt Ioseph. sup. Strab. lib. 11. cap. 6. Ptolem. lib. 6. Plutarch. in *Lucullo*, Plin. lib. 6. cap. 13. Tacit. lib. 15. Annal. Procop. lib. 1. Pers. Dio lib. 15. Xiphilin. in *Severo*, *Capitolin.* in *Gordiano*, *Trebell.* Pollio in *Tyrannis*, *Eutropius* lib. 6. *Socrat.* Scholastic. lib. 7. cap. 18. *Evagrius* lib. 7. cap. 8. & 9. &c. nam & plures alios *Ortelius* recenset. Adde legem *Mercatores* 4. §. 1. C. de commerc. & mercator.

Quemadmodum Antiochia Mygdonia præ ceteris antiquitate commendatur, ita Antiochia Syria Metropolis, de qua D. Covar. hic, celebrat omnes alias antecessit, ita ut quiores simplicer Antiochiae mentio fit, de ista per antonomasiā accipiat, de qua *Ortelius* verb. *Antiochia*, à princip. Salian. tom. 5. anno 3753. num. 5. ubi sic tradidit: *Hunc annum Seleucus construxit Antiochia nobilitat apud Eusebii chronicum.* Eam urbem prius adficere cooperat Antigonus Demetrius pater, & proprio nomine inscribere: sed ea brevi intervallo temporis & nomen amisit, & fundatorem. Et porro nomen Antiochi patris sui Seleucus indidit, qui sub Philippo Alexandri patre clarus fuerat. Est autem apud veteres Scriptores inter omnes turbes, quæ hoc appellatae sunt nomine, omnium celeberrima hæc Antiochia Syria Metropolis super Orontem fluvium sita ad Daphnem nemus deliciis & amoenitate inlysum. Eam Philostratus differentiæ causâ magnam appellat. In hac Sedem D. Petrus constituit, ut idem Salianus testatur. Unde ejusdem civitatis Antistes inter